

ferentia, sed indifferentia moralis est ordo quidam desumptus ex objecto actus, quatenus tale objectum non est sufficiens dare determinatam specie[m] boni vel mali, licet alias ex se sit principium specificans, sed solum dat capacitatem, et indifferentiam ut ex fine adjuncto reddatur actus determinate bonus, aut malus, et hæc est specificatio illius actus in ratione indifferentis, quæ determinatur ulterius ad specie[m] completam, et perfectam per rationem boni, vel mali. Et hoc mihi videntur voluisse auctores, qui vocant istam specie[m] indifferentia[m] negativam, non quod sit mera natura, et entitas actus cum negatione moralitatis (oppositum enim jam probavimus) nec quod sit negatio, vel privatio erga tale objectum, sed positivo respectu in illud tendit, dicitur vero negativa species, quia non dat ultimam determinationem in genere morali, quæ est penes bonum et malum, ubi accipitur ultima regulatio actus, sed dat capacitatem, et tendentiam ad talem regulationem cum indifferentia ad utrumque, seu cum exclusione utriusque quantum est ex vi objecti.

XVIII. Hæc conclusio sumitur ex D. Thoma, qui in hac quæstione XVIII, articulo IX ad primum sic dicit: « Aliquem actum esse indifferentem, secundum specie[m] suam potest esse multipliciter. Uno modo sic, quod ex sua specie debeat ei, quod sit indifferentis. Sed tamen isto modo nullus actus ex sua specie est indifferentis, non est enim aliquod objectum humani actus, quod non possit ordinari, vel ad malum, vel ad bonum per finem, vel circumstantiam. Alio modo potest dici indifferentis ex sua specie, quia non habet ex sua specie quod sit bonus, vel malus; unde per aliquid aliud potest fieri bonus, vel malus;

sicut homo non habet ex specie sua quod sit albus, vel niger, nec tamen habet ex specie sua, quod non sit albus, vel niger. » Et hoc secundo modo vult D. Thomas actum esse indifferentem ex specie sua, non primo.

XIX. Ubi manifeste excludit D. Thomas a ratione indifferentia[m] moralis, quod taliter se habeat, quod ex sua specie sit ei debitum, quod sit indifferentis, id est, debeat ei quod maneat in ipsa indifferentia, et terminetur, atque constituatur per illam. Quod enim debeat ei indifferentia, id est, habeat ex objecto indifferentiam, ut per eam transeat ad bonum, vel malum, non est dubium quod ei debeat, eo modo quo debetur sibi tale objectum indifferentis, et ordo ad illud. Restat ergo, quod non debeat ei quod sit indifferentis, hoc est, quod maneat et sistat in indifferentia tamquam in constitutivo, et terminativo speciei, si enim esset illa indifferentia species perfecta, et ultimate constituta in moralitate, seu regulatione rationis, ex tali specie deberetur ei quod esset indifferentis, hoc est quod maneret, et sisteret in illa indifferentia, eo quod illud maxime debetur ex specie sua, in quo perfecte, et ultimate aliquid constituitur. Si ergo hoc negat S. Thomas manifeste sentit indifferentiam illam ex objecto desumptam non esse specie[m] complexe, et terminative constitutam in genere morali, quæ ita habeat indifferentiam constituentem se, et distinguentem specie[m] illam complete a bono et malo, quod quando ei advenit bonitas, vel malitia, adveniat ut circumstantia accidentaliter supponens specie[m] constitutam, non ut primo, et essentialiter constituens, et indifferentiam tollens. Quo tandem D. Thomas explicat illo exemplo, quod homo ex specie sua non habet quod sit albus

vel niger, et hoc modo vult dari indifferentiam in actibus, scilicet, quando ex specie sua non sunt boni, vel mali, non enim hoc constituit specie[m] perfecte, et complete, sed significat quid non sit ex specie sua, et quomodo ex illa habeat transire ad bonum, vel malum.

XX. Fundamentum hujus sumitur; tum a posteriori, tum a priori. A posteriori, quia si indifferentia esset species quædam in se completa, et perfecta in esse morali, et non solum status quidam tendentia, et via ad perfectas species boni, vel mali, sequeretur quod adveniente bonitate, vel malitia ex fine, vel circumstantiis non deberet destrui talis species indifferentia, sed manere, et solum reddi bonus, vel malus accidentaliter, et in sua quidditate, et essentia manere indifferentis. At non ita est, sed actus indifferentis adveniente bonitate, vel malitia non accidentaliter, sed essentialiter manet bonus, vel malus, ergo signum est, illam indifferentiam non esse perfectam, et completam specie[m] moralitatis, sed imperfectam, et per modum via, et capacitatis ad utramque specie[m] boni, vel mali, quæ perfecta est: sicut embryo in genere animalis non est species completa, sed via et tendentia ad perfectam specie[m] animalis. Et motus non est species perfecta, sed via, et tendentia ad terminum, quo adveniente cessat motus. Sequela probatur, quia si indifferentia illa esset perfecta et completa species, solum esset capax malitia, vel bonitatis advenientis tamquam subjectum capax utriusque, non tamquam oppositum illis, nec enim opponuntur indifferentis, et bonum, sicut bonum, et malum, quæ contrariantur et repugnant; indifferentis autem est capax utriusque; ergo si est species in se completa, et perfecta, non autem solum status indifferentia, ne-

cesse est, quod dicatur indifferentis per hoc quod sit subjectum capax utriusque non contrarium illis: subjectum autem capax alicujus formalitatis, et perfectionis non destruitur per receptionem ejus, si quidem capax illius est, sed solum destruitur indifferentia, et privatio quam habet ad talem perfectionem, quæ indifferentia status est, non species ipsa essentialis. Et licet subjectum aliquando possit recipere accidentia seu dispositiones destructivas sui, hoc tamen est via corruptionis, per se autem loquendo non destruitur subjectum ex receptione ejus, cujus est capax, et ad quod dicit ordinem; præterquam quod licet subjectum per accidens destruat ex susceptione contrariarum dispositionum, non tamen destruitur id quod per se est subjectum indifferentis ad tales formas, et se habet, ut susceptivum quo illarum, scilicet materia prima, et si semper salvatur, quod subjectum per se susceptivum, et indifferentis ad diversas formas non destruitur per talem susceptionem.

XXI. Itaque indifferentia semper est, et dicitur per ordinem ad aliqua, ad quæ talis indifferentia datur, sicut virtus universalis est indifferentis ad operandum, subjectum ad suscipiendum. Non potest autem sumi talis indifferentia nisi dupliciter, vel pro statu, quando scilicet aliquid neutrum habet eorum, quæ potest habere, sed consistit in exclusione utriusque, vel pro subjecto, aut natura ipsa utriusque susceptiva, vel operativa. Si sumatur pro statu, clarum est quod talis status indifferentia excluditur per hoc, quod determinatur erga alterum, quia status indifferentia tollitur per statum determinationis, et si hoc modo se habet species indifferentia moralis, non dicetur species perfecta, et completa, sed status mora-

litalis. Si sumatur pro subjecto, aut virtute indifferenti, tale subjectum, seu virtus non destruitur per adventum eorum, ad quæ habet indifferentiam, cum ex natura sua sit capax illius. Verum ergo est quod si indifferentia est species perfecta, et completa, illam non destruiere per adventum bonitatis, aut malitiæ, sed hæc accidentaliter se habebunt ad talem speciem indifferentiæ. Et sic vera est major argumenti propositi.

XXII. Restat probare minorem supra positam, scilicet quod actus indifferens adveniente bonitate, vel malitia non manet accidentaliter, bonus aut malus, sed essentialiter. Et probatur, quia talis actus, qui redditur bonus non solum imperative, sed etiam elicitive est ab aliqua virtute, et qui redditur malus elicitive est ab aliquo vitio, sicut qui eligit ire in campum ad processionem, vel orationem ille actus elicitor a religione; et qui eligit ire in campum propter homicidium, vel furtum, talis actus elicitor ab iniustitia: sunt enim isti actus morales ab aliquo principio elicente, nec aliud assignari potest, quam illud vitium, aut illa virtus, ex qua primo, et per se habent laudem, aut vituperium. Si autem elicitive procedunt ab illa virtute, aut vitio; ergo habent ab illa speciem essentialem, et non accidentalem, quia species accidentalis convenit actui ex virtute imperante, non ex elicente, principium enim elicitor dat ipsam substantiam, seu speciem actus, quia specificatur ab illo, imperans autem dat circumstantiam finis, quæ est species accidentalis. Si autem actus indifferens quando redditur bonus ex fine, imperaretur tantum a virtute illa, et non eliceretur, oporteret quod esset aliud principium proximum elicivum illius actus, quod non esset virtus, sed habitus indifferens, quia si esset vir-

tus, jam ex specie, et substantia sua, et non ex accidenti esset bonus. Talis autem habitus indifferens non datur, sed habitus adæquate dividitur in bonum et malum, virtutem et vitium.

XXIII. Et confirmatur hoc ex doctrina D. Thomæ docentis, quod actus exterior virtutis elicitive, et non imperative est ab ipsa virtute, ut docet 2-2, quæst. III, art. 1 ad tertium, ubi inquit: « Quod fides interior mediante dilectione causat omnes actus exteriores virtutum mediantibus aliis virtutibus imperando, non eliciendo, sed confessionem producit tamquam proprium actum nulla alia virtute mediante. » At constat exteriorem confessionem fidei ex se esse indifferentem, quia aliquando potest male fieri, et non ex fide, sicut quando fit ex vana gloria; quando autem fit ex motivo fidei, tunc est actus bonus, et docet D. Thomas esse elicitive, et non imperative a fide, ergo sentit quod illa bonitas ad speciem essentialem illius actus pertinet, non ad accidentalem, sive ad circumstantiam finis. Et idem docet de actibus religionis 2-2, quæst. LXXXI, articulo primo, ad primum. Ergo eadem ratione quilibet actus indifferens de se, et qui alias potest male fieri ex motivo indebito, si fiat ex bono fine, et motivo erit elicitive a tali virtute, vel si ex malo motivo fiat, erit a vitio. Eadem enim ratio est de quolibet actu indifferente quantum ad hoc, quia isti actui prout bene fit debet assignari principium elicivum bonum, quod sit virtus, sicut ipsi actui exteriori priori talis virtutis assignatur, cum tamen alias possit male fieri, et sic est indifferens de se.

XXIV. A priori autem ea ratio pro conclusione desumitur, quia propria et essentialis ratio moralitatis est ordo, et ratio regulationis, ac men-

surationis secundum regulam rationis. Omnis autem mensuratio non potest compleri, et perfici, per indifferentiam ad hoc ut conformetur regulæ vel difformetur illi, atque aliam regulationem determinatam induat, quamdiu enim indifferenter se habet ad conformitatem, vel difformitatem cum regula nondum censetur determinata, et plena mensuratio, sed tendentia ad mensurationem, sicut videmus in mensuris sensibilibus, et externis, quamdiu enim res mensurabilis pondere, aut numeratione, aut ulna, aut alia quavis mensura, alicui determinatæ mensuræ non conformatur, vel adæquatur, aut ab illa recedit, et alteri mensuræ subjicitur, talis res non dicitur mensurata, sed solum capax ut mensurari possit; et idem est de artificialibus respectu regulæ, seu ideæ artis, quamdiu enim non conformantur determinate illi regulæ, aut ab ea recedunt, et alteri subjiciuntur, nec regulata, nec artefacta simpliciter, et complete dicuntur. Quare cum moralitas non sit aliud quam genus quoddam regulationis, et mensurationis in actibus liberis, seu in agibilibus, sicut ars in factibilibus, illæ solum species in genere morali erunt simpliciter, et complete moralitatis species, quæ regulationem istam determinate, et complete attingunt per conformitatem, vel difformitatem, atque adeo per bonitatem et malitiam, quia tunc res aliqua determinate, et complete regulata est, quando tali regulæ subjicitur per conformitatem, vel ab ea recedit, et alteri subjicitur per difformitatem, quamdiu enim non datur subjectio determinata ad aliquam regulam, neque res illa simpliciter denominari potest regulata, sicut quamdiu subjectum alicui formæ non subjicitur, non potest denominari ab ea formatum.

XXV. Indifferentia autem moralis non subjicitur determinatæ regulæ rationis per conformitatem, aut difformitatem ab illa, sed solum est capax utriusque mediante fine, vel circumstantiis adjunctis, ergo non se habet ut species completa, et perfecta in genere morali, sed solum ut via, et tendentia ad istas species boni et mali, ubi determinata, et completa regulatio moralitatis consummatur, quia ibi est determinata conformitas, aut difformitas erga legem, et consequenter determinata subjectio erga aliquam regulam, quia est determinata subjectio ad aliquem finem: sicut embryo est species imperfecta in genere animalis, quia est tendentia, et via ad perfectam speciem, verbi gratia hominis, vel equi. Et tamen indifferentia dicitur species moralitatis, et regulationis, quia saltem est capax regulationis, et moralitatis perfectæ mediate, scilicet mediantibus circumstantiis, aut fine adjuncto, licet immediate, et ex objecto determinatam regulationem non habeat, sed indifferentem, et imperfectam; sicut materia prima ens naturale est imperfectum, et potentiale, quia est capax existentiae saltem mediate, id est, mediante forma, licet ex se immediate solum sit in potentia.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXVI. Primo arguitur ad probandum non posse indifferentiam esse speciem moralitatis, sed solum pertinere in actu morali ad lineam, et genus naturæ secundum quam est materia capax regulationis, et moralitatis. Et probatur, quia malum et bonum morale, seu vitium et virtus sunt opposita immediata, et unum privat altero immediate, ergo non datur species media inter il-

las in genere morali. Antecedens probatur, quia malum est privatio boni, et sic malum et bonum etiam moralia opponuntur privative. Inter opposita autem privative non est dare medium, sicut neque inter opposita contradictorie, quia unum importat negationem alterius, ergo sunt opposita immediata, et sic non datur media species moralis inter illa. Quod si dicatur malum, et bonum non opponi pure privative, sed contrarie, et positive, et sic posse dari medium inter illa, contra est, quia etiam si sint contraria, tamen sunt contraria immediata, inter quæ non datur medium, sicut ægritudo et sanitas sunt contraria immediata in animali, eo quod non potest dari animal, quod non sit sanum vel ægrum; et similiter verum et falsum, in intellectu sunt contraria immediata, eo quod omne iudicium intellectus, aut est verum, aut falsum; ergo similiter in actu morali bonum et malum sunt contraria immediata, eo quod non stat aliquem actum moralem in re non esse bonum aut malum. Unde videmus, quod peccatum, et rectitudo non possunt esse simul in eodem actu, eo quod unum importat immediatam privationem alterius; ergo sunt immediata contraria, et sic non datur species aliqua media inter illas.

XXVII. Confirmatur, quia si indifferentia est species moralis media inter bonum, et malum, vel est species atoma, vel subalterna. Non atoma, quia indifferentis actus aliquando est pure indifferentis, ut levare festucam, ire in campum; aliquando est in malum sonans, ut habere plures præbendas, occidere hominem, tollere alienum, quod de se in malum sonat, et tamen aliquando possunt bene, aliquando male fieri, tollitur enim alienum, et occiditur homo licite auctoritate su-

perioris; male autem auctoritate propria. Et habentur plures præbendæ licite si non sint incompatibiles, nec una sufficiat ad congruam sustentationem, secus opposito modo. Nec est species subalterna, quia hoc modo omnis actus moralis generice sumptus est indifferentis ad bonum et ad malum, ut diligere, et sperare in communi, et credere, et pœnitere; possumus enim et bene, et male id facere secundum diversas species amandi, vel credendi, etc. Ergo non potest indifferentia esse species subalterna. Nos enim in præsentia loquimur de indifferentia sumpta ex objecto determinato, ut ire in campum, levare festucam, etc. Non de actu generice sumpto.

XXVIII. Respondetur ad principale argumentum malum, et bonum morale esse contraria immediata, et unum importare privationem alterius, si adæquate considerentur, et prout exercite, et individualiter se habent in re, non autem si considerentur inadæquate, et secundum aliquam præcisionem. Non repugnat autem, quod contraria immediata, et quæ in re ita se habent ut unum eorum debeat inesse subjecto, sub aliqua præcisione considerata, et secundum aliquam inadæquatam rationem, possit ab utroque abstrahi, et dari statum medium inter utrumque, sicut animal in re est sanum vel ægrum, sed tamen animal secundum se, et sub illa præcisione suæ essentiæ consideratum, nec est sanum, nec ægrum, sicut nec calidum, aut frigidum, sine calore autem, et frigore non datur sanitas, et ægritudo. Et intellectus in re, vel est verus, vel falsus, tamen secundum se, et sua prædicata essentialia intellectus nec verus est, nec falsus. Sic actus moralis in re semper bonus est, vel malus; sed tamen præcise consideratus ex ob-

jecto, et sine circumstantiis aliquando nec bonus est, nec malus, si ex vi, et præcisa formalitate objecti regulationem legis non habeat determinate in bonum, nec malum, sed solam permissionem.

XXIX. Secundo respondetur ex D. Thoma in hac questione xviii, art. viii ad primum, ubi idem argumentum adducit, et solvit distinguendo duplicem privationem, aliam in facto esse, aliam in fieri. Et privatio in facto esse totum suum oppositum tollit, nec aliquid relinquit, ideo inter talem privationem, et habitum non datur medium, quia nihil relinquit quod non tollat, sicut tenebræ et lux, mors et vita, cæcitas et visus. Privatio autem in fieri est, quæ non totaliter tollit suum oppositum, sed est via ad totalem ablationem ejus, sicut ægritudo ita privat sanitatem, quod non totaliter tollit illam, eo quod non tollit radicem ejus, quæ est vita, sed ad id disponit, et tendit. Et talis privatio cum aliquid relinquat de suo opposito saltem radicaliter, potest aliquid medium admittere inter suum contrarium. Et hoc modo se habet privatio mali erga bonum, eo quod totaliter bonum non aufert etiam radicaliter, et quod ipsa principia boni moralis, quæ per peccatum non destruuntur.

XXX. Circa hanc solutionem difficultas non modica est in explicando, quo modo ista privatio in fieri relinquat aliquid de suo opposito, si quidem non compatitur cum illo, ut peccatum cum rectitudine opposita, verbi gratia luxuria cum rectitudine temperantiæ, hanc enim totaliter destruit. Quod autem compatitur cum rectitudine, seu bonitate naturali, quæ est radix istius moralitatis, non infert quod admittat medium inter ista opposita in genere morali, sed solum in genere naturæ, quod est capax utrius-

que, et de hoc non est quæstio. Et præterea hoc modo etiam illæ privationes, quas S. Thomas vocat in facto esse, ut cæcitas, tenebræ, etc. possunt habere medium radicaliter, non formaliter, quia cæcitas relinquit formam animalis, quæ est radix visus, et tenebræ relinquant diaphanum, quod est capax lucis, et hoc non obstante vocat ea S. Thomas contraria immediata; ergo, etc.

XXXI. Respondetur de hac difficultate latius agi infra quæst. lxxii, art. i, ubi similem doctrinam affert D. Thomas ad probandum peccata non esse paria, qui consistunt in privatione in fieri, quæ potest suscipere magis, et minus. Pro præsentia autem difficultate, relictis variis modis dicendi, mens D. Thomæ in eo sensu explicatur, quod privationes in fieri sunt privationes aliquid formæ dicentis viam, et tendentiam, aut dispositionem ad aliam formam, quæ se habet ut radix ejus, et talis privatio respicit immediate formam qua privat, et mediate formam, quæ est radix istius, qua non privat, sed relinquit, et relinquendo illam, aliquid relinquit de opposita forma, quia radicem ejus relinquit, licet illam impediatur, aut ad tollendam illam disponat; sicut ægritudo non tollit vitam, sed disponit ad mortem, et peccatum non tollit rationem, aut extinguit liberum arbitrium, sed vulnerat et infirmit, et quasi obnubilat et impedit.

XXXII. At vero privationes in facto esse sunt illæ, quæ ita tollunt unam formam, quod non disponunt, et tendunt ad tollendam, vel infirmandam aliam, sicut sunt privationes, quæ tollunt formam substantialem; hæc enim est radix accidentalium, et qui tollit illam, accidentales etiam radicaliter tollit, ut mors quæ totaliter tollit vitam; aut etiam aliæ privationes sunt in facto